



Nobilissime et Amplissime domine, ac cognate,

Iterum tibi gratias, quas possum, habeo maximas, pro eo quod submonueris in tempore de facta mutatione decreti principalis circa anniversariam electionem magistratus nostratis. Principi nec à me nec à quoquam quidquam imputatur, ut qui tum publico tum privato nomine petenti et presenti satis clementer omnia annuit. Est autem invidus aliquis, cuius nomini parco, non solum mihi sed <sup>et</sup> aliis quam plurimis multis nominibus suspectus, quod in hoc negotio, contra quam necum à magistratu iussus erat, longè alia viâ incesit. Is haud dubie, continuo post meum discessum, et ingratus erga patriam tam bene in se meritam et amico infidus ad retractanda antè acta principem sollicitavit. Crede mihi, nec principi (ut fortasse videri vult) utilem navavit operam, nec ulli bono hic suum illud subdole factum probabit.

Trita frequensq; via est per amici fallere nomen,

Trita frequensq; licet sit via, crimen habet.

Plura non addo aliò avocatus teq; Nobiliss. et Ampliss. domine, quam officiosissime salvere iubeo cum filio et collega conjunctissimo. Rem gratissimam feceris, si nobilissimo affini, domino de Willem, salutem à me impertias. Noviomagi 5. Januarii. 1647.

Nobiliss. amplitud. tuae  
addictissimus

Lamb. Goris

Hug. 37.














Mijn heere  
Mijn heere van Luycksem,  
Raet ende eerste Secretaris  
van sijne Hoogst de prince  
van Oranien  
port Hage